

rum autoritate & jussu hæc omnia fiunt, & quibus hæc præ aliis  
quàm maximè accepta esse cupio, meum qualem qualem cona-  
tum Academicum non ingratum futurum jam scio; ita etiam a-  
micabilem Tuam, I quisquis tandem eris, laboris mei interpretatio-  
nem prædicandumq; candorem sim experturus, Ne autem omnis  
ordinis & methodi tanquam compendiosissimæ pariter ac tutissi-  
ma ad discendum & docendum via, in hac disputatione contem-  
tor esse videar, talem tibi sisto ea quidem lege. Tria constituan-  
tur summa capita quorum I. exhibebit definitionem  
**Nominalem & realem contractus Depositi.**  
II. proponet Obligationem ex hoc contractu  
resultantem, & deniq; III. tradet ex hac obli-  
gatione oriundas demum actiones. Hæc sunt quæ  
præmittere & promittere volui debuiq;. Missò itaq; longiori ver-  
borum anfractu, jam ad laborem, præmissâ prius invocatione Nu-  
minis divini, quâ ad omnia nostra consilia omnesq; omnino  
actus feliciter peragendos tutò, semper argumento *l. 2. pr. C. de  
offic. perfect. præst. Nov. 85.* progredimur, pede properante pergo,  
sperans bonum cum Deo initium & optimum hoc ductore finem.  
Sit E. Progressus ad

## CAPUT I.

exhibens

### *Definitionem Nominalem & Realem contra- ctus Depositi.*

#### Th. I.

**S**icut in omni disciplinarum genere, ita & in augustissima no-  
stra cum primis Jurisprudentia animadvertendum cum Juliano  
Jcto in *l. 13. §. 3. ff. de reb. dub.* quid sit, de quo quæritur.  
Perdifficilis enim omnis disputatio evadit, nisi id, de quo ea insti-  
tuitur, exactè, fatentibus ipsis Philosophorum filiis, sit præco-  
gnitum. E re itaque & necessarium nobis Materiam Depositi  
confi-

confi-